



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Temeritas in iudiciis euitanda est, & potest verti in peccatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

## Judicium temerarium. 389

for scire, sed ipsi iudices tenentur scire quæ spectant ad officium suum. Et propterea ipse seipsum probet, si est iudex ordinarius, si violauit quæ sunt ordinarii. Et si est iudex delegatus, si violauit quæ sunt delegati: puta petere aut recipere præter esculenta paucorum dierum, expensas in casu: quia Ecclesiasticus tenetur restituere de rescripto in vi c. statutum. & cum ab omnibus de vi. & honestis clericis. Secularis autem non potest præter esculenta plusquam quatuor aureos recipere: si causa excedit centum aureos, ut ciuiiles leges statuunt. Sed haec sint exempli causa dicta, ipsi de seipsis loquantur.

*Temeritas in iudicio evitanda est, et potest verti in peccatum.*

Iudicium temerarium (quo homo quicunque sine sufficienti certitudine iudicat proximum de anno seu intentione) peccatum est, quia nemo debet diffinituè afferere etiam in suo corde quod nescit, in præiudicium præsertim alterius. Et si iudicat proximum de peccato mortali peccat mortaliter: quia sine sufficienti causa despicit proximum, & in corde suo dat illi iniuriosum locum absque rationabili causa. Si autem iudicat de peccato veniali, aut de mortali, non assertiuè in corde suo determinat, quamvis credat firmiter & temerarie, non peccat mortaliter: quia non diffinituè iudicat, sed venialiter, magis & minus graviter iuxta qualitatem signorum testimandi, & assertus in alio dispositi. Vbi quoque pro timoratis conscientiis, memento discernere inter iudicium operis, & iudicium personæ. Nam si quis non plus sciens audit aliquem maledicentem (puta in mala hora) aut videt aliquem excentrem aliquem turpem actum, & credens actus huiusmodi esse secundum se peccata mortalia, iudicat illos peccati mortalis, non incurrit

A a s peccatum

### 390 Iudicium temerarium.

peccatum iudicii temerarii, de quo est communis sermo: quoniam non iudicat persona m, sed opus: nec errat in iudicio personali: sed in iudicio rerum. Tunc autem iudicaret temerarie, quādo esset iudicū personale: ita quōd ex parte intentionis seu animi iudicaret illum peccare mortaliter, audens definire in actibus dubiis aut v enialibus intentionem mortalem.

### Iuramento licito duo crimina contrariantur.

Iurare si duos habet comites, iudicium, iustitiam & veritatem, actus virtutis religionis est, ut pote profitens Deum infallibilem omnium notitiam ac veritatem habere. Propter quod scriptum est. Laudabuntur omnes qui iurant in eo.

Contrariantur autem iuramento duo crimina, periurium, & iurare per falsos deos, aut creaturas. Et de periurio quidem in loco suo inferius tractabit.

De hoc autem criminе quod grauius est, nec habet nomen proprium, aduerte quō ad blasphemiam reducitur: quia dum aliquis intendit verē iurare, intendit testimonium infallibile afferre: & dum per creaturam quamcunq; aut falsum Deum iurat, profitetur creaturam illam seu illum aestimatum Deum esse infallibilem testem, quod est proprium Dei veri, ac per hoc attribuit, quod est proprium Dei, alteri, quod est blasphemare. Est ergo iurare per creaturas, aut falsum Deum plusquam periurium, quia est peccatum blasphemiae.

Veruntamen quum Christiani iurare videntur per creaturas (vt per sancta Euangelia, aut per sanctos &c.) piē interpretandum est: hoc est secundum Christianum morem & sensum: hoc est vt intentio iurantis sit Deum in creatura afferre in testem, & non ipsam secundum se creaturam. Et iuxta hanc distinc-